

1795/27

ERNESTVS PLATNERVS

VNIVERSITATIS LITTERARVM

LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIVS

PANEGYRIN MEDICAM

A. D. V. JUN. MDCCCXCV

IN AVDITORIO MAIORI

CONCELEBRANDAM

INDICIT

AN RIDICVLVM SIT ANIMI SEDEM INQVIRERE



FRANZISKA BRUNNEN

UNIVERSITÄT WÜRZBURG

LIBRARIUS

PROGAMM

AN DER UNIVERSITÄT WÜRZBURG

VON DR. MED. JOH. BRUNNEN

IM VERLAG VON BRUNNEN

WÜRZBURG

1854

PROGAMM AN DER UNIVERSITÄT WÜRZBURG



Cum omnia nuper labefactari coeperunt decreta et instituta philosophiae; tum primarius ille locus de natura animorum, praesertim substantiae deleta notione, in tantam adductus est suspicionem inanitatis, ut, si quis hodie animum aliquid esse profiteatur seiunctum a corpore et consistens in sese, aut solummodo animi vocabulum vel simile adhibeat, is aliquorum vix contumelias possit, nedum reprehensiones deuitare. Multo magis nunc irridentur studia eorum, qui animi sedem conantur inuestigare; quippe quae nulla neque anatomes, neque physiologiae luce vnquam possit declarari. Quid vero? Adeone stupidos et ad rerum incorporearum comprehensionem rudes existimatis fuisse Cartesios, Leibnitios, Willisios, Boerhaavios, Halleros, ut locum in cerebro quaerent, in quo animus tanquam in capsula conditus et inclusus deprehenderetur? Haud profecto magis puerile est, tales nugae probare, quam probatas illas fuisse a summis viris suspicari. Est vero illorum, qui omnem hanc quaestionem ut vanam et ieiunam aspernantur, duplex disputatio; altera e philosophiae principiis repetita, altera ipsius physiologiae rationibus instructa. Namque animi sedem nihil esse volunt, nisi inanem sine sententia voculam, partim vulgi locutione, partim metaphysicorum erroribus introductam: scilicet qualis sit animi sedes, nullo modo posse cogitari. Deinde, etiamsi res ipsa vacaret repugnantia, tamen ad eam declarandam negant aut physiologiae aut anatomes ullam commoditatem fore. Ibo per singula.

IV

I. Igitur quod vobis propemodum desipere videntur, qui animi sedem et nuper, et olim indagarunt: id caete ne in vestram magis ignominiam, quam illorum derisum conuertatur. Namque dedecet doctos homines non definire id, quod vocatum est in disquisitionem. Et haec leuitas etiam minus ferenda est in iis, qui omnia veteris disciplinae instituta impugnant, et, quandam quasi censuram gerentes studiorum et litterarum, in grauissimis quaestionibus aestimatores se ac iudices profitentur. Atqui non explicatum, non definitum habetis, quid per animi sedem intelligatur. Igitur non locum exquirimus, quo viuens illa et cogitans natura contineatur, sed eam corporis humani partem volumus, quae propius, quam caeterae omnes, in mentem agat, et in qua vicissim quaelibet mentis actio primum inchoetur suscipiaturque. Jam in hoc quid absurdum et repugnans, quid a philosophiae, etiam vestrae, praeceptis abhorrens deprehenditis? Etenim vt nihil de animi natura constet: tamen esse animum, etiam illorum, qui omnia nuper euertuerunt, concessu affirmamus; qui iidem agere illum quodammodo in corpus nullo pacto dissentent. Itaque siue sit animus aliquid permanens et perdurans ac vim habens efficiendi, omninoque substantiae nomine dignum; siue illa idearum nostrarum in vnam indiuiduam conscientiam congregatio atque coniunctio adeo nobis illudat, vt ita esse credamus: tamen itero et repeto, et esse animum, et agere in corporis nostri instrumenta. Quanquam neutrum horum dubium facitis.

Proinde id vnum moleste fertis, quod non vniuersum corpus, sed eius aliquam particulam in animi societatem plerique omnes adduxerunt. Cuius offensionis nullam iustam causam in physiologorum decretis inueniri, postea secundo loco demonstrabimus: quid philosophiae repugnet, id vnum nunc roga-

rogamus: Incorporea natura spatio inclusa? Nempe igitur hoc est spatio inclusum esse, in rem spatio comprehensam agere, et ab ea impelli ad agendum. Hoc pacto ne vos quidem illo errore caretis; quippe admittentes mutuam corporis et animi actionem. Aut an ita vos estis ultra sensuum humilitatem elati, ut vel causam et vim efficientem, vel rerum per causam inter se connexionem nullo adiuncto loci et spatii viso, comprehendatis? Ut inane hoc visum et sine cogitatione sit, (de qua re nos quidem nihil neque affirmamus, neque negamus): tamen eius forma tam alte infixata est mentibus hominum omnium, ut nemo, quantumvis ad metaphysicorum subtilitatem institutus, et a phantasiae consuetudine abductus, id de illo genere vel rerum, vel idearum possit separare. Itaque ne Deum quidem, multo minus hunc eius adflatum, animum nostrum, extra omnem spatii terminum concipimus; tametsi ratio refragetur, et sic quodam modo assensionem nostram impediatur. Quae cum ita sint, totum illud ieiunum est, quod spatio nos premitis et urgetis, quippe ad cuius necessitatem omnes iisdem naturae nostrae legibus sumus alligati. Deinde non ita crassi sumus, ut ipsam animi substantiam in aliqua parte cerebri haerere dicamus: nam de hac plane reticemus: quandoquidem non animum, sed animi vim et agendi modum spatio terminamus; quae quid sit in sese et amoto spatio, fatemur nos ignorare. Nihil horum est, quod non ipsi vos faciatis, qui nostra in hac quaestione studia vituperatis. Namque animum, mutato vernaculi sermonis nomine, esse fatemini; eumque, licet omnibus rerum proprietatibus denudatum, tamen agentem et cum corpore coniunctum esse vultis, tum eius actiones corpore, ergo hactenus spatio, comprehendi nullo pacto negatis. Itaque nullam animi sedem esse, tali argumento demonstratis, quod ipso spatio quoque, vade ductum est, videtur esse

esse inanius. Sed hunc plumbeum gladium iam ita vobis extorsimus, vt, si tali nos vellemus vti, eum in vos mutuo possemus retorquere.

At mirum est videre, quam parum sibi in hac disputatione consentent. Nam ne in loco aliquo sit animus, illum per vniuersum corpus diffundunt: quasi vero ita in nullo loco esse videatur. Et sic, quem errorem acerrime in nobis reprehendebant, in eum se ipsi etiam profundius immergunt. Namque animo non modo sedem designant, sed illam etiam multo quam necesse est, ampliorem. Spatii vero idea an iam sint nobis liberiores, vestrum est, lectores, iudicare. Aut an nulla est animi sedes, si in toto ille corpore residet? nullumne spatium, si a nullo spatio est seiuncta? In qua re a Stahlîi aduersariis olim peccatum est fere in contrariam partem; qui metuentes, ne corporeus animus fieret, si tantum spatium occuparet, eum noluerunt omnes, quod Stahlîo placebat, nervos peruagari, tantoque arctius in cerebro incluserunt. Vtrumque illud ineptum. Nam quoniam sic a natura informati sumus, vt omnes omnium rerum ideas nostras spatio quasi inuestiamus: nihil interest, magnum id an paruum, amplum an angustum posuerimus. Nec mentem humanam magis expertem materiae feceris, si in spatio minimo, quam si in maximo eam inesse dixeris. Igitur non ideo vestram rationem exagitamus, quod simplex mentis natura inde periclitetur; sed quia incongruum est, eius tuendae causa, locum, in quo sit animi sedes, exaggerare.

II. Progredior ad alteram partem disputationis aduersariorum, physiologiae, vt illi putant, argumentis munitam. Igitur res jam eo delata est, vt non, an sit animi aliqua sedes, sed

sed an in cerebro illa sit, quaeratur. Quod fidenter ab illis negari non miror, quia, vt in principio admonui, rem, quae disceptatur, non definiunt. Atqui aut nostram definitionem euertant, aut suam sententiam se tueri non posse fateantur. Namque repugnat obseruationum fides, neruos, etiam extra cerebrum et a suis principiis remotos, aut ad excitandam perceptionem, aut ad fuscipiendum motum idoneos esse. Quo argumento permoti fuerunt omnes, qui cuicumque cerebri particulae principatum decreuerunt: ne Cartesio quidem excepto; qui glandulam pinealem non temere, sed hac vna de causa tantopere exornabat, quod et spiritum in ea secerni ex arteriis ei circumjectis, et, quod caput rei est, omnes neruos hinc oriri sibi, vt erat ab anatomes disciplina incultus, persuaderi patiebatur; quanquam ob utrumque merito reprehensus a Nuckio, glandularum corporis humani disfectore subtilissimo. Similiter Lancisus in corpore calloso eatenus animi sedem collocauit, quod in eo neruorum radices latere suspicaretur; quanquam haud scio an Bonnetus, qui in hac sententia defendenda nimis erat, aliis erroribus fuerit deceptus, quos deinde postea diluemus.

Igitur qui animi sedem e neruorum centro ad uniuersum corpus diducunt, quo se tueantur, nihil habent, praeter magnum Stahlis nomen; qui in hac re non sua, sed suae aetatis culpa errauit. Namque non futurum fuisset, vt cerebri praestantiam tantus vir non agnouisset, nisi omnis cerebri actio et vtilitas cum spiritibus per tubulos medullares vagantibus, illius saeculi more fuisset communicata. Sed vt verum fateamur, Stahlus vel maxime in hoc peccauit, quod vt ratum et concessum fumeret, conscientiam perceptionibus adiunctam, vbi sit animus, perspicue satis indicare. Nunc cum
acus

acus me pungit in digito, in digito mihi conscius sum, non in cerebro, doloris: hinc consequi volebat nec alibi animum iam quaeri oportere. Sed falsum nimirum prius est. Etenim conscientia nequaquam locum indicat, in quo animus agat, sed in quo posita vel potius ad quem referenda est res sensibus objecta. Ut cum auem video in arbore considerare, conscientia (si quid huic est in hac re tribuendum) non ad oculum, in quo manifesto est sensus, sed ad arborem me reuocat; adeo ut, si illa Stahlii ratio vera esset, iam sit in arbore animus meus: quod absurdum est. Similiter acus digito infixi, quanquam in digito conscientia est doloris, nihil probat, non in cerebro animum, sed in digito esse. Scilicet doloris causam, non vim in digito esse, illa conscientia demonstrat. Nunc in tactu, cuius exemplo omnem disputationem Stahlius conficere volebat, res impellens et mouens sensum ad ipsos neruos est applicata: ideoque dubium possit videri, conscientia vtrum ad causam perceptionis, an ad vim percipiendi spectet. Atqui in visione, etiam in auditione illam luculentum est ad rem perceptam, non ad animum, qui percipiat, posse referri. Ut verbo dicam: conscientia in sensu sic vtitur mens nostra, ut non vbi ipsa sit, sed vbi res sit, certior fiat. Attamen cum ad se ipsa se retrahit a sensuum impulsibus quasi otiosa: tum alia conscientia existit quae nullius rei, sed sui ipsius nuntia esse videtur: hanc ad cerebrum pertinere manifestum est.

Sed hoc modo, etsi facile diluitur Stahlii sententia, tamen vereor, ne, quae contra eam ab Hallero allata fuerunt, nullius momenti sint. Etenim hic in eo vno enititur, ut ostendat, sensuum impulsus in cerebrum deferri, illincque omnem motum voluntarium emanare. Caeterum idem in cerebro facit, quod Stahlius in vniuerso corpore. Nam ut hic nulla
parte

parte cerebri medullari animi vim et actionem, id est, sedem vult abesse; etiam consimili argumento vsus: quia nulla medullae pars sensu careat. Ideoque per totum cerebrum, plane sicut Stahlius per totum corpus, animum diffundit; eos, qui singulae alicui parti principatum tribuerant, acriter vituperans. Quorum etsi nullus verum assecutus erat: tamen non consequbatur, in vniuerso cerebro esse animi domicilium, quia, in qua sit eius parte, non constaret. Nam per definitionem supra propositam fieri non potest, vt animi sedes latius pateat, quam centrum neruorum. Atque si latius patere contendit, causa non est, cur non extra cerebrum quoque producat. Itaque aut definiendum erat Hallero, quid per animi sedem intelligeretur, aut omnis haec controuersia derelinquenda. Enimvero qui in certa quadam parte cerebri mentis domicilium posuerunt, etsi hanc partem non recte indicauerunt: tamen eatenus laudandi sunt, quod id, quod quaeritur, etiam melius ipso Hallero, declaratum ac definitum habuerunt.

Sed hoc tempore, postquam ad illud neruorum centrum, omnium anatomicorum desiderii, laboribus, coniecturis vsurparum propius adducti sumus: tanto magis ineptum est, hanc quaestionem, a summis philosophis ac physiologis agitatam, aut deserere, aut quod isti faciunt, contra quos haec scripsimus, in ludibrium et contentum vocare. Et si quis est in hac re metus erroris, horum error, qui nihil omnino esse animi sedem volunt, vehementius mihi, quam aliorum, qui eam etiam digito monstrare gestiunt, esse videtur extimescendus. Sed hoc nimirum nec nos facimus, nec caeteri fecerunt, quorum nos rationem sequimur; quippe, vt supra est admonitum, animi non substantiae sed actioni singulum aliquem locum in cerebro assignamus. Quem si prope corpora quadrigemina

B

quae-

quaerimus, vna et illam definitionem nostram tuemur et recentissimorum anatomicorum decreta sectamur.

Candidatus, qui hae prolusione duce nunc in conspectum publicum prodit, est

FRIDERICVS AVGVSTVS WAGNERVS

BAARENSTEINIO-MISNICVS,

MEDICINAE BACCALAVREVS

isque, quod vere et ex Ordinis Nostri decreto publica fide testor, nomine ac jure Doctoris omnino dignus. Natus est a. LXVI. patre Samuele Augusto, artis salutaris Doctore clarissimo, et ciuitatis Dresdanae Medico publico; matre Maria Augusta Magnusa. Vtriusque parentum et immaturam mortem luget, et in se educando sedulitatem ac fidem celebrat. Postquam religionis et litterarum initia ei tradita essent a magistris domesticis: disciplina scholae Dresdanae, quam, quia sanctae crucis memoriae dedicata est, non admodum latino nomine, scholam crucianam appellant, vsus est septem annos amplius; in ea institutus ad omnem humanitatem a Koehlero, Haentschelio, Beutlero, Olpio. Ita deposito tirocinio, accessit ad collegium medico-chirurgicum, quod Dresdae floret, tanquam ad aditum et vestibulum Academiae Lipsiensis; atque in eo, quantum annui spatii angustiae ferrent, in anatome et physiologia, in materia medica, in therapia, etiam chirurgia, Haentelio, Demiano, Wildio adfedit. His adiunxit Gerreshemii, viri vere docti et omnibus bonis cari, acroases de historia naturali:

rali: apud quem tantum valuit paternae amicitiae memoria
 vt nostrum omni genere beneficiorum cumlaret. Ad nostram
 academiam accessit A. LXXXVII. Rectore Bauero. In philoso-
 phia Caesarem, Heydenreichium et me quoque audiuit. Ma-
 thesin a Borzio, physicen a Kuehnio, omnem historiam naturalem
 a Ludwigio, chemiam ab Eschenbachio accepit. Botanicen Pohl-
 io et Hedwigio, anatomen Haasio debet: physiologiae causa
 me adiit. In materia medica Hebenstreitium, in pathologia
 b. Krausum et Ludwigium magistros habuit; meis quoque
 de pathologia oculorum recitationibus interfuit. In therapia ge-
 nerali et chirurgia b. Krausum, in particulari et medicina forensi
 Hebenstreitium secutus est, a quo etiam differendo ac scribendo ad
 disciplinam medicam institueretur, deinde Kochium, cui eidem
 quoque assedit, cum medendi praecepta singulis morborum diffi-
 cilliorum exemplis illustraret. Artem obstetriciam ei Gehlerus
 tradidit, Ordinis Nostri Decanus venerandus, cuius infirmae vali-
 tudini Deus opituletur! Omnibus his magistris suis, inprimis Haa-
 sio et Kochio gratissimum animum testatur; etiam Kappii in se be-
 neuolentiam, tum Bosseckii, venerandi senis, cuius domicilio per
 octo ipsos annos usus est, humanitatem liberalitatemque laudat.
 Quanquam angusta ei res familiaris erat, tamen diuino beneficio ei
 contigit, vt haec honesta indigentia sua multis modis adiuuaretur.
 Nam ad conuictum publicum admissus est, tum a
 Senatu Dresdano, ab Ordine Nostro, et Krugeri, sacrorum
 in circulo Delitienfi Antiflitis fauore, a familia Velthemia
 stipendium habuit. Anno LXXXIX post tentamen per colloquia,
 Baccalaureus factus est; tum postquam acroases publicas habuisset
 de Phthisi pulmonali, alterum, illud seuerius tentamen subiit
 A. LXXXXII. in quo Ordini Nostro idoneam doctrinam proba-
 uit. Scripsit quoque commentatiunculam ad Richterum et
 Barthelium, cum Doctores essent creati, nomine commilitonum
 in

in Hebenfreitii schola super rebus medicis disputantium. Nunc ut Doctoris jura et ornamenta more maiorum consequatur, d. V. Jun. ab h. IX. libellum, cuius ipse auctor est, De recte instituentis nosocomiis ciuicis defendet, praeside Joanne Gottlobio Haasio, Anatomes et Chirurgiae Professore ordinario, Ord. Nostri Seniore grauissimo. Ego vero Cancellarii vice, eodem die ab h. XI. veniam ei capeffendi summi in medicina honoris, publica auctoritate ac solemniter tradam; habita breui oratione. Quam cel ebritatem Rectori Academiae Magnifico, Illustrissimis Comitibus, vtriusque Reipublicae Proceribus indicare, non tantum legibus et institutis huius Academiae, verum etiam pietatis et humanitatis officio iubeamur.

P. P. Dom. F. Trin. c1010ccxcv.

L I P S I A E


EX OFFICINA RICHTERIANA.

ULB Halle
003 067 572 3



TA-OL





1795, 27.

ERNESTVS PLATNERVS
VNIVERSITATIS LITTERARVM
LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIVS
PANEGYRIN MEDICAM

A. D. V. JUN. C1010CCXC7

IN AVDITORIO MAIORI
CONCELEBRANDAM

I N D I C I T

AN RIDICVLVM SIT ANIMI SEDEM INQVIRERE

